



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt VI. Idem Episcopo & Archid. (a) Viterbiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

titul. 7. de emptione & venditione, ferè per totum.

Alia plura circa pactum hoc de retrovendendo examinant repetentes in præfenti, & prosequuntur Doctores supra citati, quæ in præfenti transcribere institutum non patitur. Videntur sunt Hermosilla, Castillo, & Ayllon ubi supra; & utrum tale pactum præscribatur spatio longissimi temporis, quoties ita conceptum est, ut semper, & quoadcunque venditori liceat redimere, examinat Fachineus lib. 2. controvers. capite 13. qui & capite sequenti disputat, utrum fructus rei venditæ eo casu spectent

ad venditorem, an ad emptorem: & capite 15. utrum ex hoc pacto dominium rei venditæ ad venditorem ita revertatur, ut rem à quolibet tertio detentore vindicare possit. Eadem quæstiones examinant Morla in *empor. tit. 9. quæst. 14. 15. 16. & 17.* Sesse *tom. 1. decis. 17. 18. 19. & 20.* & quamvis actio ex hoc pacto detur, doctè exponunt Vela *dissert. 32. per rot. Meril. lib. 2. var. cap. 6.* & an aucto pretio rei pretium reddendum augeatur, exponit Latrea *decision. 76. Granat.* qui etiam *decis. 70.* doctè resolvit quando minor eo, quod hoc pacto usus non sit, restituendus veniat.

CAPVT VI.

Idem Episcopo & Archid. (a) Viterbiensi.

Cum causa, quæ inter æconomum monasterii sancti (b) Martini de Monte, ex parte una; ac cives Viterbieneses super [c] casamentis, ex altera vertebatur, fuisset aliquandiu ventilata, cum constitisset [d] nobis, monasterium vinditione ultra dimidiam iusti pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut præfati cives, aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitimæ venditionis tempore iusto pretio defuisse.

NOTÆ.

(a) *Viterbien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 2. veram autem inscriptionem hujus textus retuli in cap. cum causa, de testibus.

(b) *Monasterii sancti Martini.*] De quo nonnulla notavi in cap. finali, de confessis.

(c) *Casamentis.*] Casamenta intelligit Ivo Carnotensis episcopus, 105. & 197. domos rusticas cum terris, & agris, quibus etiam feuda intelliguntur. D. Bernardus episcopus, 39. ad Theobaldum Principem, ibi: *Nostrium quoque, ac vestrum pariter Episcopum, id est, Lingoniensem, abundantiori, ut decet, honore suscipiatis, & de casamento, quod tenetis, homagium, quod debetis, reverenter et, & humiliter offeratis.* Fulbertus Episcopus in forma fidelitatis relata à Carnotensi part. 12. *Decreti, capite 76.* ibi: *Ut fidelis hoc nomen caveat, iustum est, sed non ideo casamentum mereatur.* Illustrant Jureus in notis ad Carnotensem, epistol. 176. Cironius in parat. ad hunc titulum.

(d) *Constitisset nobis.*] Unde dum de reparatione hujus monasterii agit Innocentius III. hæc le-

guntur in antiquo MS. ejusdem monasterii. [Cum autem monasterium sancti Martini de Monte ad exterminationem pervenisset extremam, ita ut vix in eo tres monachi remansissent, possessionibus ejus vel omnino distractis, vel sub gravi fenore pignoris, tunc Pontifex ad reformationem ipsius intendens, pro redimendis possessionibus mille libras exsolvit; scripsitque Abbati & Conventui Pontigniacensis Cœnobii, quod est unum de quatuor primis præcipuis Cisterciensis Ordinis monasterium, ut ipsam Ecclesiam sancti Martini in filiam reciperent spirituales, & ad ipsam dirigerent Abbatem, & conventum de monachis, & conversis; quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cum ergo venisset Dominus Papa, benedixit Abbatem, & ut in eodem loco religio pullularet, concessit, & donavit eidem Ecclesiam Sancti Salvatoris, quæ sita est juxta Orem, cum omnibus rationibus; & possessionibus suis, longè quidem majoribus, ac etiam melioribus, quam cæteræ possessiones illius.] Refert Manrique *tom. 2. annal. Cisterciens. anno 1150. cap. 11. num. 8.*

Commentarium dedi supra in cap. 3.

CAPVT VLTIMVM.

(a) Gregorius IX.

Si venditori post institutum contra se iudicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet nunciare, vel contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per injuriam sententia lata fuit, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit.